

N. 43.

A. D. 1131.

(marzo, Indiz. IX).

<i>Data di luogo</i>	Bari.
<i>Rogatario</i>	Petracca not.
<i>Descrizione</i>	Taglio rettang.: alt. 0,57, largh. 0,28.
<i>Scrittura</i>	Minuscola molto nitida. È seminata di virgolette e molte parole hanno gli accenti ( <i>V. /ac simile</i> ).
<i>Contenuto</i>	Angelus, arcivescovo di Bari, cede a Nicolaus magister, f. Iohannis magistri, una piccola casa che minaccia rovina, e ne ha in cambio alcuni arredi sacri e 250 miliarenii di ramesini.
<i>Bibliografia</i>	Inedita.

+ Incarnationis salutifere, domini nostri iesu christi, dei eterni, Anno, Millesimo, Centesimo, tricesimo, primo. Mense martio, indictione nona. Ego Angelus dei omnipotentis gratia, et voluntate, ecclesie sancte barine, et canusine sedis archiepiscopus Clarefacio, quoniam intus in civitate Baro, in vicinia de alfaranitis, pertinet, eidem sancte nostre sedis, ecclesie, una domus, parva, orreata, vetus, et iam ruinosa, unde, pene, nullum proficuum habemus. De quo rogavit nos, Nicolaus magister, f. Iohannis magistri, commorator in affata civitate, ut eam sibi vicariaremus, et quod sancte matris ecclesie, nostre sedis, utilius, magnisque necesse est, exinde in vicaria ab eo acciperemus. scilicet, Unum pluviale, de trenasimo, et unam dalmaticam de diaspro, et unum librum textum evangeliorum, cum tabulis argenteis, deauratis, et duos turibulos de argento, et unum parium de candelabris argenteis, et pro causa remeliorationis daret, et adiungeret nobis, ducentos quinquaginta miliarenos de ramesinis bonis, ad opus et laborem prelate sancte matris ecclesie. Quibus nobis complacentibus, cum consilio, et voluntate, primicerorum, et clericorum eiusdem matris ecclesie, bona nostra voluntate, et predictorum omnium laudatione, ego prenominatus Angelus, predicte sedis, sancte matris ecclesie, archipresul, Ante presentiam domini Iohannis, de Mangierio, barensium Iudicis, et domni Fidelgrisi imperialis patriciy, et Petracce, bonorum hominum subscriptorum testium, quibus omnia predicta et subnarrata, aperte, et seriatim sunt propalata, una cum Elia nostro advocate, per fustem dedimus tradidimus, atque vicas-

(3) In questa data l'I finale è d'inchiostro un po' più nero: probabilmente fu aggiunto dopo, anche perchè si scorge di leggieri che fra il -XXXI e il *Pontificatus* non c'è lo spazio che generalmente intercede tra le altre parole del *Datum*.

riamus tibi supradicto Nicolao magistro candem predictam domum. que taliter his finibus congiratur. A primo fine partis orientis, est, paries pizzulus de domo filiorum Scavi, de Achonio. A secundo partis meridiei est trasitus et exitus, ipsius domus, et vicinorum. A tertio vero fine, partis occidentis, (*manca*), pariete pizzulo est domus, Kiremarie, f. Leonis, de Grisiperga, que fuit uxor Pizzinaci, catalacti. A quarto quoque, partis septemtrionis est stricta, in qua cadunt gutte, eiusdem domus, Predictam vero domum, his iamdictis finibus circumdatam, dedimus; tradidimus, atque vicariamus, tibi prelato Nicolao magistro, una cum trasito, et exitu suo, qualiter prelegitur. et cum parietibus, ostio, balcone, et fenestris suis, tecto, et guttis eius, et cum superioribus et subterioribus suis, omnibusque suis pertinentiis, intus et de foris. Ex qua, datione, traditione, et vicaratione, nec nobis, nec ullis quibuslibet nostris posteris, predicte sancte ecclesie preminentibus, neque cuilibet homini, aliquam portionem, vel potestatem, obtinuimus vel reservavimus, habendam, vel requirendam, sed trasactive, illud tibi dedimus, tradidimus, et vicariavimus possidendum. Et pro confirmando, et stabiliscenda tibi, et tuis heredibus, hac prelata datione, traditione, et vicaratione, nunc presentaliter cum iamdicto nostro advocate, recepimus, exinde a te sepedicto, Nicolao magistro, similiter in vicaria. Unum pluviale de trentasimo, et unam planetam de diaspro. et unum librum textum evangeliorum, cum tabulis argenteis, deauratis. et duos turibulos de argento, et unum parium de candelabris argenteis. et pro causa remeliorationis, adiunxisti nobis ducentos, quinquaginta miliarenos de ramesinis bonis. ad opus videlicet et laborem, prenotate nostre sancte matris ecclesie. In ea quidem ratione. Ut amodo in antea hec predicta datio, traditio, et vicariatio, cum prescriptis omnibus, qualiter per fines congiravimus, et eidem domui pertinet, trasactive sit in potestate, et dominatione, tua, et tuorum heredum, habendi, dominandi, possidendi, et omnia ut vestra voluntas fuerit exinde faciendi. Sine requisitione, et contrarietate, nostra, nostrorumque omnium, posterum, prenominate nostre ecclesie preminentium, et de omnibus hominibus. Et, nec nos, nec nostri quilibet posteriores, qui prefate ecclesie, prefuerint, potestatem habeamus presignatam vicariam vobis tollere, contrare, et retornare, vel aliquid exinde subtrahere, vel minui, ullo modo, vel humano ingenio. Sed defensores vobis exinde fiamus ab omni humana persona. Ut secure et quiete, inde omni tempore maneatis, ordine prenarrato. Et omnia faciamus, et adimpleamus, tibi Nicolao magistro, quampluribus prenominato, tuisque heredibus, qualiter sunt superius intimata. Et si taliter prenotata omnia, vobis facere, et adimplere noluerimus, et istud scriptum, irritum, vel reprobum esse dixerimus, per nos ipsos vel per nostros summissos, aut si predictam vicariam vobis, tollere, contrare, et retornare, vel aliquid exinde subtrahere, vel minui quesierimus, et per causationem vel legem vos exinde miserimus, per quodcumque ingenium, obligo nos, et nostros omnes posteros, eidem sancte ecclesie prementes dare vobis penam trecentos aureos solidos, bonos, scefatos. Et Hoc Scriptum Vicariationis, scripsit Petracca, notarius. His, Subscriptis, Ibi, Secum, Stantibus.

- † Ego Angelus barine et canusine sedis archiepiscopus ita egi.
- † Ego Agapitus presbiter et primicerius laudo et confirmo.
- † Ego Iohannes primicerius laudo et confirmo.
- † Petracca indignus presbiter et paramonarius beate Marie hoc firmat.
- † Ego Leo presbiter et scribanus laudo et confirmo.
- † Iohannes Malgerii qs. barensium Iudex.
- † Hoc verum Fidelgrisius scriptum testor patricius.